

miratus sunt *Touars* ad *Tovium Fluvium*, *Brasse*, *Bridieres*, *Roche-Chouart*. Baronatus Dominiique honore insignita sunt Opida non pauca, quæ turbato, ut in oculos veniunt & mentem, ordine ponam: *Manlers*, ubi piscatio Salmonum, Alosarum, quæ Culpeæ oliis, Balanarum & Afellorum præcipue, qui arefacti ventoque & frigore indurati in varias regiones solent exportari: *Partenay*, *S. Maxent*, *Melle*, *Chizay*, *Chauvigny*, *Lussac*, *Bressuyre*, *Charron*; *Casteneraye*, *S. Mesmin*, *S. Gillis*, *Chasteaumur*, *les Sables d' Aulonne*, *S. Hermine*, *Montagnu*. Opidum cum Arce, Salinis nobile: *Mirebeau*, *la Motte*, *S. Beraye*, *Vouvant*, *S. Hilaire*, *Mortemer*, *Luzac*, *S. Savin*, *l'Isle Jourdain*, *S. Benoist du Saulx*, *Bourg-neuff*, *Meroul*, *Merwant*, *Brige*, *Vouver*, *Villetaignaux*, & alia. Fuisse & in Pictonibus *Limonum* colligitur ex Antonini itinere quod *Burdigala* ducitur *Augustodunum*: *Limonon* *prolemæo*; In *Tabula Itineraria* scribitur *Lomounum*. Illud magni Viri putant idem esse transnominatone quadam, cum *Augustorito*, *Poitiers*. Nihil audemus hic affirmare. *Limoni* mentio in *Commentario A. Hirtii* ter: ubi tamen quidam Libri *Lemovicum* contra fidem & auctoritatem Manuscriptorum Codicum præferunt. Fluvii quibus irrigatur sunt *Clanvus*, *Vigenna*, nunc *Vienne*. *Vendans*, & alii, qui Piscum magnam subministrant copiam. Silentio non est hic prætereundum Amphitheatrum apud *rictones Pago Dovaio* adjacens, manu quidè & arte humana factum, sed ita, ut videri possit a natura, totum enim excisum & excavatum est in Monte, sine externa ulla Materiatione Calcis, Lapidis; Ligni. Montis ipsius & *Amphitheatri* plenissima est delineatio, ex fide *Levini Kersmakeri*, *Consulis* quondam *Zirickzai*, *Zelandiæ*que primis hujus belli Motibus *Gubernatoris* apud *Iustum Lipsium* *Libello* de *Amphitheatris* quæ extra *Romam* cap. VI. qui *Pagum Dovaum* addit aliquid amplius olim fuisse, cum ex eo non pagani Operis argumento, tum ex *Via antiquæ publicæ*que reliquiis, quæ ex pago eodem pertinuit ad *Pontem Cesarianum*, vulgo *Pont du Sey*, cujus *Via* pars adhuc variis locis conspicitur, pars autem maxima corrupta est, Lapidibus in ædificia varie absumptis aut avectis. Medio circiter ab *Urbe pictavia milliari*, itinere, quod *Avaricum Biturigum* ducit, in *Via Regia* ingens spectatur *Saxum*, forma quadratum, quinque lapidibus fulcitum, unde vulgò *la Pierre Levée*. De eo *Distichon* hoc exstat:

*Hic Lapis ingentem superat gravitate Colossum.*

*Ponderis, & grandi Sydera Mole petit.*

Status Ecclesiasticus habet *Episcopatus* tres, qui subsunt *Tolosano Archiepiscopo*: *Pictaviensem Poitiers*, in quo sunt *Abbatix* 27. *Lucionensem*, *Lucon*, sive *Luffon*, in quo sunt *Abbatix* decem: *Mallacensem* sive *Maltacensem*, *Mailezay*, in quo sunt *Abbatix* 4. Ad mores venio. *Agricolæ* non nihil habent peculiaris *Linguæ*: quibus qui parum fident, sapere perhibent. *Hominum* genus, quod, *Feras* prohibitum, *Lites* venatur: contentiosum, & in *simpulo* fluctus excitare gnarum. *Urbani* dissimilis plane *genii* & *ingenii*, *faciles*, *benefici*, *liberales*, *candidi*, *fucos* & *imposturas* detestantes, *Eruditionis* & *Eruditionum*, qui hic non pauci, *amantes*. *Nobilitas* provida *strenua* *audentior*.

Flumina.  
Opera publica.

Mores.